



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De indicibili scientia Dei, 2

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcedis omnia, sustines omnia.

3. Qui corda fidelium doces sine strepitu verborum. Qui locis non distenderis, nec temporibus variaris, nec habes accessus & recessus: qui habitas lucem inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre potest. In te manens quietus ubique circuis totum. Non enim scindi & dividi potes, quia vere unus es: nec in partes efficeris, sed totus totum tenes, totum imples, totum illustras & possides.

## C A P V T II.

### *De indicibili scientia Dei.*

1. **S**I totum mundum libri repleant, tua scientia inenarrabilis non potest enarrari. Quoniam vero indicibilis es, nullo modo scribi poteris, nec concludi. Tu es fons lucis divinæ, & Sol claritatis æternæ. Magnus es sine quantitate, & ideo immensus. Bonus sine qualitate, & ideo vere & summe bonus, & nemo bonus, nisi tu solus. Cujus voluntas, opus est: cuius velle, posse est. Qui omnia quæ ex nihilo creasti, sola voluntate fecisti. Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, & sine labore gubernas, & absque tædio regis, & nihil est quod conturbet ordinem imperii tui, vel in summis, vel in imis.

2. Qui in omnibus locis sine loco haberes, & omnia contines sine ambitu, & ubique præsens es sine situ & motu. Qui nec mali  
auctor

auſtor es, quod facere non potes. Qui nihil non potes, nec unquam quicquam te feciſſe pœnituit. Cujus bonitate facti ſumus, & juſtitia pœnas luimus, & clementia libera- mur. Cujus omnipotentia omnia gubernat, regit, & implet, quæ creavit. Nec ideo te implere omnia dicimus, ut te contineant; ſed ipſa potius à te continentur. Nec parti- culatim imples omnia, nec ullatenus ita pu- tandum eſt, ut unaquæque res pro magni- tudine ſuæ portionis capiat te: id eſt maxi- ma majus, minima minus; dum ſis potius ipſe totus in omnibus, & omnia in te. Cujus omnipotentia omnia concludit, nec evaden- di potentiam tuam quis aditum invenire po- terit. Qui enim te non habet placatum, ne- quaquam evadet iratum.

## C A P V T I I I.

*De deſiderio animæ ſentientis Deum.*

I. **T**E igitur clementiſſime Deus invocò in animam meam, quam præparas ad capiendum te ex deſiderio, quod inſpiras ei. Intra, rogo, in eam, & coapta eam tibi, ut poſſideas illam, quam feciſti & refeciſti; ut habeam te velut ſignaculum ſuper cor meum. Quæſo piſſime, invocantem te non deſeras; quia priuſquam te invocarem, me vocaſti, & quæſiſti: ut ego ſervus tuus te quærerem, quærendo invenirem, & inven- tum amarem. Quæſivi, & inveni te Domi- ne, & amare deſidero. Auge deſiderium meum, & da quod peto; quoniam ſi cuncta quæ feciſti mihi dederis, non ſufficit ſervo tuo,